



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1624. usque ad annum 1627

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118863

§. 57. Ludovici XIII. bellum contra Hugonotas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67369](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67369)

Sæc. XVII. nes fraudes expeditus, Calvinianum ca-
A. C. 1625. piebat populum, cuius tota Religio in
superstitione posita est. Igitur præva-
lente fanatico, ac rebellandi proni-
tate in consuetudinem versa, Castro-
Albigenses, Montalbani, Realmonten-
ses. Nemausenses, Alesii, Uticani,
Cebennenses, Fuxenses, pluresque
alii ejusdem seftæ populi in Subisii,
Rohanæi, & Ruppellensium verba ad-
versus Regem suum jurarunt: Indici-
tur singulis in communem cauissam pe-
cuniarum erogatio, fœminæ etiam sua
monalia, armillas, omnemque mun-
dum muliebrem in militum stipendia
conferre, insana æmulatione certant:
conscrubuntur ubique milites, & Catho-
lici in omnibus locis, ubi Calvinistis
numero impares erant, inhumana cru-
delitate divexantur.

§. LVII.

*Ludovici XIII. bellum contra Hugo
notas.*

Gramond.
I. c.

Tanto tum Regem suum subjugandi
ardore flagrabant Calvinistæ, ut
Ludovicus prompto belli apparatu ad-
hibitaque armorum vi Regni sui exci-
diū, coronæ jacturam, vitæque pe-
riculum prævertere cogeretur: Igitur
Castro-Albigensi, necnon Montalbano
urbi-



urbibus copias suas admoveat, Mom- Sæc. XVII.
morancium vero Architalassum in ma- A. C. 1625.
ritimam expeditionem evocat contra
Subisum, Regisque jussu in Castren-
ses Espernonius, & in Montalbenses
Theminius primæ expeditionis initium
a desolanda messe faciunt: erumpunt
Castro rebelles, iterato tamen a Re-
giis non sine clade repulsi: inde Espe-
rnonius Dux promotis castris sancti
Pauli oppidum, & Miatam urbem ob-
sidet, & occupat, cunctaque Castræ
suburbana deprædatur, ac ferro flam-
maque devastat, cæsis ad internecio-
nem præsidiariis: tandem seditiosos ad
prælium provocat, horumque ferme
octingentos trucidat. Interim Roha-
næus in Cebenensi agro Summariam
aggredi statuit, non sine certa potiun-
dæ urbis & arcis spe, eoque oppi-
dani omnes essent Sectarii, Regi suo
infensi: Obstabant tamen Præsidiarii,
qui religione Catholici, Regisque ob-
sequio additti erant: Admovent nihilo-
minus Calvinistæ concubia nocte crepi-
taculum, cuius violentia disjecto muro
patet quidem militi via, illius tamen
fragore excitatur Marcillacus arcis Præ-
fектus: Hic ergo dispositis ad ruinam
tormentis hostem jamjam cæco im-
petu irruere parantem tempestive in-
gressu prohibet, exarmatisque civibus

L 5

de



Sæc. XVII. de perfidia suspectis, cum mille pediti-
 A. C. 1625. bus obdidentium impetus retundere
 statuit. Accurrunt opportune Suellio
 Duce Catholico vicini Nobiles, ac in-
 digenæ Catholici, quorum conspectu
 Rohanæus, desideratis suorum duce-
 tis, fuga dilapsus, Castrum, ubi Be-
 thunia ipsius uxor propagandæ sedi-
 tionis intenta agebat, reversus est, Via-
 næ prope pagum, cui Petrasecata no-
 men, castra metatus; quo comperto
 Theminius Marescallus, cui sæpe mili-
 taris audacia in gloriam cessit, per
 abruptam viam cum copiis suis accu-
 rens, aggeres perrumpit, murisque
 superatis hostem fugat, cæditque.

§. LVIII.

*Pacis consilia ab ipsis Hugonotis
 everfa.*

Calmet Hist. Cum igitur Calvinistæ rebelles armo-
Univ. l. 151. rum fortunam sibi infestam cerne-
 rent, ad Regis clementiam recurrere
 simulabant, spe freti, ficta submissione
 in sectæ suæ favorem, quicquid vel-
 lent, impleturos, aut saltem tem-
 poris beneficio rebus suis potentius in-
 futurum prospecturos. Acuebant quo-
 que eorum fiduciam Britannizæ Rex,
 Veneti, Sabaudi & Batavi, qui in Au-
 striacæ Domus excidium conspirantes
 pro